

Sic abbas quidam, in vitis pp. l. V. c. VII. de patientia, n. XXXV. rogatus, quomodo religiosus non debeat scandalizari, cum videt aliquos retro ad sæculum redire, sed progredi ad perfectionem religionis, respondit: « Intueri debet canes, qui venantur lepores; et sicut unus ex eis videns leporem, insequitur, cæteri autem tantummodo canem videntes currentem aliquamdiu cum ipso currunt, postea vero lassiti post se revertuntur: solus autem ille qui vidit leporem, sequitur donec comprehendat, neque exemplo revertentium neque præcipitiis, nec vepribus retardatur, sed spinis pungitur et non quiescit, donec comprehendat: ita et monachus vel qui Dominum Jesum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt scandala omnia præteriens, donec ad Christum perveniat. » Sic ille.

Deus opt. max. det nobis, ut non modo per tales tentationes non dejiciamur aut moveamur, sed fortius stare incipiamus, et Ecclesiæ firmiter adherere, juxta id Job XLI. *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi purgabuntur.*

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Docetur exultare in spiritu ob conversionem proximorum. — II. Conformare nos divinæ voluntati. — III. Sectari humilitatem. — IV. Non temere scrutari Dei judicia. — V. Quorsum nobis fugiendum cum laboramus. — VI. Portare jugum Christi.

THEMA.

Discite a me, etc. et invenietis requiem animabus vestris. Matth. XI.

Sanctus Justinus ex philosopho gentili Christianus et martyr, narrat in principio dialogi cum Tryphone, qua ratione veræ sapientiæ, quæ ad Deum ducit, avidus, mirabili circulo sectas quasque philosophorum illustriorum frustra pervagatus, in christiana demum ss. litterarum ethica, tamquam sola solida conquieverit. Cum enim modo Stoicum, modo Peripateticum, modo Pythagoricum, denique Platonicum nactus esset magistrum, et inani sapientiæ quæsitæ spe ab omnibus delusus esset, tandem in divinum quempiam philosophum, sive hominem, sive angelum incidit, a quo monebatur, ut abdicata omni illa circulari disciplina, prophetarum oracula, et qui de Christo scripti sunt sermones legeret. Quod cum ipse fecisset, eam solam philosophiam comperit esse tutam et utilem. Additque: « Optarem autem eandem mentem et cæteris ne a Servato-

ris verbis discederent; possunt enim religionem incutere a via recta deflectentibus et meditates ipsa reficere quiete jucundissima. » Sic ille. Quare auditores, si et vos similiter requiem invenire animabus vestris in aliqua scientia vultis: in s. evang. et verbis ac gestis Christi potestis. Aliæ scientiæ temporale aliquid præstant, sed requiem non afferunt. De verbis autem Christi S. Petrus ait: *Domine, quo ibimus! Verba vitæ æternæ habes: et Dominus, in hodierno evangelio aperte id confirmat, cum inquit: Discite a me... et invenietis requiem animabus vestris.* Quare audiamus Christum nos docentem.

I. Docet nos Christus exultare in spiritu et laudare Deum, quando videmus proximorum conversionem et profectum salutis. Hanc enim ob causam exultans in Spiritu sancto, ut scribit S. Lucas, dixit: *Confiteor tibi Pater.* Cum enim reversi ad ipsum essent septuaginta discipuli cum gaudio dicentes: *Domine etiam demonia subjiciuntur nobis in nomine tuo;* in ipsa hora, ait S. Lucas, exultavit in Spiritu sancto et dixit: *Confiteor tibi Pater, etc.* Proposuit enim sibi Christus tunc ob oculos ingentem evangelii sui fructum quo partim dæmones tyrannide sua, quam in homines exercebant, exuendi erant, et jam exui incipiebant, partim innumeræ gentes jugum evangelii suscepturæ erant. Atque hinc exultans laudem cecinit Patri, docens interim nos, non in terrenis rebus exultare, sed in iis quæ ad Dei gloriam et salutem animarum pertinent: *Sicut pater bonus, inquit Theophylactus. Luc X. cum viderit filios recta quadam opera gessisse: ita Salvator exultat, quia talia bona assecuti erant apostoli.* Gaudeant igitur parentes non cum vident filios suos prosperari in bonis terrenis, sed cum vident eos proficere ad salutem. Sic lætabatur S. Joannes de filiorum suorum spiritualium profectu. Ait enim in epist. III. *Majorem horum non habeo gratiam (Syrus habet lætitiæ; alia biblia gaudium) ut audiam filios meos in veritate, id est, fidei et morum sinceritate, ambulare.* Gaudeamus etiam nos cum videmus proximos nostros respiscere, gentes barbaras et hæreticas ad fidem veram converti, quemadmodum nunc passim fieri videmus.

Celebrat S. Hieronymus, in cap. V. ad Ephesios, axioma Christi: *Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in charitate.* Vidimus autem passim plurimos ab hæresi redire ad veram fidem et charitatem Christi: sed et vidimus rebelles et superbos hæreticos passim humiliari, ducibusque catholicorum succumbere, quod non minoris gaudii et laudis divinæ materiam nobis subministrat, siquidem Christus in hoc evange-

lio laudem cant Patri suo, quod superbos humiliarit et a fidei suæ arcanis removerit. Nec enim minus est laudandus Deus, cum humiliat superbos et damnat impios, quam cum exultat humiles et præmiat bonos. Si hoc misericordiæ, ita illud opus est justitiæ. Nec minus decorum est, ut dici solet, videre furem in patibulo, quam sacerdotem te in altari. Sane ob demersum Pharaonis exercitum, cecinere Deo laudes Israelitæ Exod. XV. ob demersum in infernum meretricem magnam: *Laudaverunt Deum sancti, et dixerunt: Alleluia, Apoc. XIX. et XVIII.*

II. Docet nos consentire et conformare nos divinæ voluntati per omnia, cum ait: *Confiteor tibi Pater* (confiteor enim sonat hic, simul fateor, assentior, concordo) rursus cum addit: *Ita Pater quia sic placitum fuit ante te.* Hoc verbo respondit Christus voluntati Patris sui in omnibus suis actibus, cum in præsepium reclinatus est, cum in Oliveto captus et vincetus, cum ad columnam alligatus, cum affixus cruci, cum denique inelionato capite tradidit spiritum. Ad omnia tam aspera et difficilia assentiens dixit: *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Quod si Dei Filius hoc fecit, cur non faciet servus? In mundo certe plurimi inveniuntur, qui ut potentioribus placeant, omnia eorum dicta approbant, licet sæpe stulta et falsa, quemadmodum fecit Mamuchan consiliarius Assueri, qui videns regem contra uxorem ut regi se accommodaret, dixit: *Justa est regis indignatio, Esther I.* Rectius ac sanius hoc fit Deo, cujus voluntatem semper approbare et laudare oportet, quia nunquam errat, sed ipsa et regula totius æquitatis. Quare sicut in civitatibus ad primarium horologium diriguntur horologia reliqua: ita prorsus æquissimum est, ut nostra nos horologia, suam quisque voluntatem, ad illud supremum et cæleste horologium, primam divinam voluntatem attemperemus. Quo pacto securissime Dei favorem et benevolentiam accipere possumus; quam et obtinuit Mauritius imperator pœnas peccati luens, cum quinque filios suos parvulos coram se interim jussu Phocæ videns, Davidicum illud protulit: *Justus es Domine et rectum judicium tuum.* Eodem modo divinæ voluntati se conformavit Theodosius filius ejus primo genitus, cum a Phocæ interceptus Nicææ ac capite damnatus, gratiis Deo actis, lapide ter percussus percussus: *Domine Jesu Christe, inquit, tu scis me nulli hominum injuriam fecisse, nunc autem mihi evenit, ut tua jubet potentia, Baron. anno 602.* Hunc igitur in modum, cum quid adversi nobis contingit, conformemus nos voluntati Dei, licet ejus causam non intelligamus. Sic Num. c. IV. jussit Deus omnia vasa sanctuarii gestari a

levitis involuta pallio hyacinthino, ne quis ea videret: sic vult nos ferre ea, quæ imponit nobis onera, non inspicere cur imponat, sufficit ea voluntatis divinæ vestita esse.

III. Docet nos, sectari humilitatem et superbiam detestari: siquidem superbis abscondit Deus veram sapientiam et viam vitæ æternæ, parvulis autem item revelat, hoc est, humiliter sentientibus et judicium suum Deo subjicientibus. Sic Jacob IV. dicitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem lat gratiam:* et Proverb. IX. *Si quis est parvulus, veniat ad me, etc.* Ratio est, quia superbia non dat locum sapientiæ, ob tumorem suum. In valles defluit imber ex montibus, quia valles habent alveum ad eum recipiendum: montes non habent. Humiles vasa vacua sunt, superbi vasa repleta. Scimus autem Elisæum petiisse vacua vasa, quæ impleret oleo. Sic Dydimus Alexandro Magno dixisse fertur: *Paratus est Deus ad dandam tibi sapientiam, sed non habes, ubi eam recipias.* Putant enim imprimis se jam sapientia plenos: unde nolunt amplius erudiri, aut aliis subjicere humiliter intellectum suum. Vir nobilis cum divertit in domum pauperis agricolæ, multis obsequiis excipitur et honoratur, sedulo curatur ejus equus, parantur ei et promuntur optima quæque, quæ in domo sunt, inservitur ei ad nutum. Cum vero ad domum potentioris se divertit, parum honoratur et curatur. Sic Deus a superbis parvi æstimatur, magni ab humilibus. Deinde, displicet illis sapientiæ divinæ humilitas et doctorum ejus. Amara fuit Pharisæis Christi humilitas et paupertas, si venisset splendidus et opulentus placuisset. Ita pariter superbis displicet communiter concionum et concionatorum humilitas. Sic aliqui filii Belial despexerunt Saullem datum sibi in regem dicentes: *Num salvare nos poterit iste?* I. Reg. X.

IV. Docet nos quarto, non temere scrutari Dei judicia et consilia, v. g. « Cur, ut ait S. Greg. I. XXV. mōr. XIII. stante Judaico populo, dudum in infidelitate gentilitas jacuit, et cur ad fidem gentilitate surgente Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit, nemo discutiatur, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito, etc. » Sic Gregor. Rursus cur Japonens. Chineses, Brasili, etc. tanto tempore sint in tenebris infidelitatis derelicti, et tam sero ad fidem vocati, etc. Horum enim omnium ratio principalis unica est, quam assignat hic Christus: *Quia sic placitum fuit ante Deum.* Sufficit nobis scire, quod nemini fiat injuria. Si quis non illuminatur, adscribat suis demeritis: si quis illuminatur, adscribat dono Dei. Scimus præ Josepho Matthiam esse electum ad apostolatam, sed nescimus causam.

Videntur sane meritis ita fuisse pares, ut apostoli nescirent utrum eligere, adeoque electionem hanc sorti et divinæ dispositioni committere deberent. Videbatur autem (nostro sensu) eligendus Joseph, quia cognomento Justus, ab insigni videlicet sanctitate et justitia: rursum quia, ut multi volunt, Christi propinquus, et frater S. Jacobi majoris erat, quia prior nominatur; sed aliter sors cecidit et electus est Matthias, (quæ vox sonat donum Dei) ut sciamus ex Dei dono, non ex meritis nostris dari nobis gratiam. Ita S. Franciscus a multis rogatus, quid haberet gratiæ aut boni, quod a Deo ad tantum sanctitatis et auctoritatis fastigium esset exaltatus, ut totum mundum ad se sui que amorem ac venerationem traheret. Tu enim, aiebant, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non speciosus: qui ergo totus mundus post te currit? Respondit: « Idecirco Deus me ad hoc elegit, quia nihil habeo, in quo gloriari possim, ut ostendat hoc opus non esse hominis sed Dei. » Refert Corn. a Lap. in Act. c. I. Agnoscamus ergo nos a nobis nihil esse, si volumus magni esse.

V. Docet nos quinto, quorsum fugere debeamus, cum laboramus et onerati sumus, seu mole peccatorum seu aliarum calamitatum. Ad se enim nos invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* Idque duplici ratione suadet. Primo, quia omnia potest: *Omnia enim*, ait, *mihî tradita sunt a Patre meo*: secundo, quia vult: *Quia mitis*, inquit, *sum et humilis corde*, unde et vocat nos ad se, et quidem omnes, nemine excluso. Maximum miserorum solatium. Ad homines si confugiamus vel illi non possunt pellere nostras miseras, saltem omnes: vel si possint, sæpe nolunt, saltem gratis. Christum habemus omnipotentem et habemus patrem. Quid amplius desideremus? Si cum Christo nondum sumus, ad illum accedamus per mentis conversionem, per desiderium Deo placendi, per veram contritionem et propositum emendationis, per confidentiam in ipsum, per vitæ imitationem, etc. Vel si jam cum Christo sumus, quid nobis deesse potest, vel qua ratione tristes esse possumus, qui habentem omnia habemus? Quam igitur aberrant, qui in suis calamitatibus confugiunt ad præstigias dæmonum, ad fraudes, ad arma et violentiam, ad maledicta, ad laqueum denique et sui ipsius internecionem? Hoc enim quid est nisi de sartagine in ignem exsilire, et veneno sumpto morbum velle pellere?

Porro nisi ad Christum recurrerimus, requiem non inveniemus, in Christo inveniemus. Quemadmodum enim acus nautica non quiescit nisi aciem direxerit versus plagam septentrionalem: ita et

anima nostra non nisi in Deo. Unde August. in confes. *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Quies autem ista consistit in pace conscientiæ et spe futurorum bonorum, quando canere potest homo id Psal. Davidici: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, etc. Placebo Domino in regione vivorum.*

VI. Docet nos sexto, exemplo suo portare jugum et onus ejus, id est, legem evangelicam et crucem tribulationum et tentationum, quæ christianismo est annexa. Modum autem portandi indicat, per mansuetudinem et humilitatem. Facit enim humilitas, ut jugum Christi libenter suscipiamus et de ea non erubescamus: facit mansuetudo, ut patienter id gestemus nec recalcitemus, cum id humeros nostros premit, vel cum variis tentationibus inter eundem quasi flagellis et calcaribus excitamur et stimulamur. Vin videre exemplum Christi? Audi S. Petrum, epist. I. c. II. *Passus est pro nobis*, inquit, *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, (ecce mansuetudinem) tradebat autem judicanti se injuste (ecce humilitatem) quia cum esset Dominus gloriæ, tradidit se servis, quasi esset eorum subditus.*

Atque hæc est, auditores, vera philosophia, vera sapientia, sola tuta et utilis, quam sanctus ille martyr Justinus diu quæsitam tandem invenit in christianismo, quamque omnibus optavit, laudare scilicet Deum, conformare se ejus voluntati per omnia, sectari humilitatem, mirari non scrutari arcana Dei, confugere ad Deum unicum adiutorem in nostris tribulationibus, portare jugum Christi. Hanc ergo philosophiam, hanc mentem ego cum S. Justino vobis opto, ne a verbis Salvatoris discedatis: possunt enim (ut ille dicebat) religionem incurere a via recta deflectentibus, et meditantes ipsa reficere quiete jucundissima, quam nobis donet Deus.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur respondet Christus? — II. Quia respondet? — III. Cur Deum vocat Patrem et Dominum? — IV. Qui sapientes et qui parvuli? — V. Quomodo et cur abscondit arcana sua sapientibus? — VI. Quomodo novit Patrem nisi Filius? — VII. Quinam illi qui laborant et onerati sunt? — VIII. Quomodo reficiuntur onerati? — IX. Quid jugum et onus Christi? — X. Cur hic humilitatem tantum et mansuetudinem proponit imitandam?

THEMA.

Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Matth. XI.

Sanctus Augustinus, in epist. LVI. ad Dioscorum scribit: « Non aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatis viam invenies, quam quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem prima est humilitas, secundo humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem. » Alludens ad Demosthenis sententiam, qui interrogatus, quid esset potissimum in eloquentiæ præceptis, respondit: *Pronuntiatio*: secundo et tertio interrogatus, nihil aliud respondit, quam: *Pronuntiatio*. Hoc est, auditores, quod in hodierno evangelio docuit nos Christus, non esse aliam viam perveniendi ad veram et arcanam Dei sapientiam, præter humilitatem: *Abscondisti hæc a sapientibus*, inquit, *et revelasti ea parvulis*. Quoniam igitur in hodierno evangelio non pauca sunt arcana, parvuli fiamus, ut ea nobis Deus dignetur revelare.

I. Cui respondit Christus verbis illis: *Confiteor tibi Pater*, cum nemo interrogavit? Resp. porro non alicui personæ, sed rei factæ respondisse juxta Hebraismum. Sic dicitur respondisse ficuti sterili, in qua fructum non invenerat, Marc. XI. respondit enim ejus sterilitati: sic Petrus in monte Thabor, respondens dixit ad Jesum: *Domine bonum est, etc.* Matth. XVII.

Secundo, mystice respondit æterno suo Patri qui jam ante octingentos annos dixerat ei per os Isaïæ, c. XIV. *Dedi te in sædus populi, in lucem gentium.* Hoc est, ut mihi reconciliares mortetua, et luce evangelii tui illuminares non tantum populum Judaicum, sed barbaras etiam gentes, adeoque mundum universum. Hoc igitur decreto Patris Filius hic respondet, primo, gratias agendo: *Confiteor tibi Pater*: secundo, eidem se conformando, et voluntatem Patris amplectendo, cum addit: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Hunc in modum nos, cum ad hoc vel illud præ-

ceptum implendum, vel virtutem exercendam vocamur aut movemur, cum ab aliquo revocamur, cum quid adversi patimur, cum ægotamus, cum morimur, cogitemus id nobis Deum ab æterno decrevisse ac quodammodo dixisse: *Dedi te in religiosum, in sacerdotem, rectorem, subditum, militem, agricolam, etc.* ut esses Christianus, ut alios doceres, ut multa adversa tolerares, ut sic et sic ægotares, ut hoc vel illo tempore moreris, etc. eique ad singula hæc respondeamus: *Ita Pater, ita, quoniam sic placitum fuit ante te?* Nolo a tuo decreto vel ad latum unguem recedere: placet etiam mihi, quod placitum fuit ante te.

II. Quid respondet Christus, cum ait: *Confiteor tibi Pater?* Respond. confiteri in ss. litteris significare modo laudem, modo gratiarum actionem, et potest hic utrovis sensu capi. Sed si cum Chrysostomo sumas pro gratiarum actione, tunc intelligendus est Christus, gratias agere non pro eo, quod sapientibus abscondit Deus fidei suæ arcana: sed pro eo, quod revelavit ea parvulis, quia gratias agimus pro beneficiis, non pro illatis malis, uti notat hic S. Chrysostomus: sed si laudem cupias, intelligendus Christus est laudare Deum pro utroque, quia Dei opus est laude dignissimum: illud quidem, justitiæ, quo abscondit sua arcana ab indignis: hoc misericordiæ, quo aperuit ea dignis.

III. Cur Deum appellat Patrem et Dominum: *Confiteor tibi Pater Domine cali et terræ?* Resp. primo, propter se, quia duplicem naturam habuit divinam et humanam: ratione primæ vocat eum Patrem, ratione secundæ Dominum. Dominum autem vocat non suum sed cæli et terræ, ut separet se a creaturis; quarum etiam ipse Dominus est.

Resp. secundo, propter nos ut ex una parte invocemus et amemus Deum, velut Patrem, ex altera colamus et metuamus velut Dominum. Unde Lactant. Firm. l. IV. de vera sap. c. IV. ait: *Deus qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, et Patris et Domini, et amare eum debemus quia filii sumus, et timere quia servi.* Patrem se ostendit, cum revelavit arcana fidei suæ parvulis Dominum, cum abscondit ea prudentibus: Dominum se ostendit Adamo, cum ejecit eum e paradiso, patrem cum vestivit eum pelibus: Dominum se ostendit Jobo cum percussit eum ulcere, patrem cum sanavit eum.

IV. Qui sapientes et prudentes, et qui parvuli? Resp. S. August. serm. XLVIII. de temp. dicens: « Sapientibus et prudentibus irridendis, arrogantibus, falso grandibus, vere autem tumentibus opposuit non sapientes, non prudentes, sed parvulos. Qui sunt parvuli? Humiles, etc. » et S.

Greg. c. III. l. IV. in I. Reg. « Sapientes quidem superbos et alta de se sentientes, parvulos dixit humiles, etc. » Non ergo persapientes intelligenti sunt litterati doctores et magistri, nec per parvulos idiotæ, quemadmodum fingunt hæretici aliqui, qui proinde contendunt rudibus datum esse Scripturarum intellectum, doctis vero negatum, ideoque munus concionandi concedunt illitteratis, tonsoribus et sartoribus, alicubi etiam scholas clausurunt, (quam enim hoc fœdum et indecorum esset in Ecclesia?) Bene fieri potest, ut quis doctor sit, et interim parvulus humilitate sicut e contra multi rudes et illiterati sunt, interim tamen sapientes apud semetipsos vel in rebus secularibus. « Multos, inquit S. Greg. lib. XIV. moral. c. XXVI. obtusi sensus homines cernimus et tamen eos in malis actibus astutos videmus, propheta quoque attestante, qui ait: Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt, » Jeremia IV.

V. Quomodo et cur abscondit Deus fidei suæ arcana sapientibus? Resp. quia negavit illis auxilia superabundantia et ipsis congruentia quibus illuminati fuissent, si ea accepissent. Non acceperunt autem propter suam superbiam, contumaciam et arbitrii repugnantiam. Sint duo cæci, vel vulnerati, quos illuminare vel curare intendit medicus: sed unus agnoscit suam miseriam et acceptat curam; alter non agnoscit, sed repellit et contemnit medicum; quare medicus huic quidem non impendit pharmaca sua, alteri impendit. Unde August. ser. cit. ait: « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, lumen se putantibus: et tenebræ erant, et eo quod tenebræ erant, et lumen se putabant, nec illuminari poterunt: illi autem tenebræ erant, et tenebras se esse confitebantur, parvuli erant et non magni, humiles erant et non superbi, recte ergo dicebant: Tu illuminabis lucernam meam, Domine. » Sic August.

VI. Quomodo nemo novit Patrem nisi Filius, et nemo Filium nisi Pater. Resp. scientia naturaliet comprehensiva nemo novit Patrem nisi Filius et contra: non excluditur tamen hinc Spiritus sanctus. Sed non fit ejus mentio, quia nondum fuit datus, nec mundo adhuc cognitus. Sicut nec excluditur cognitio sui ipsius, tam in Patre, quam in Filio, sed ea supponitur. Nos per Christi revelationem Deum cognoscimus cognitione tantum revelata et supernaturali. Hebræi, ante Christum, cognoverunt quidem Deum, licet eam cognitionem a Christo non acceperint; sed non cognoverunt eum quantum attinet ad Verbi œconomiam et fidei mysteria, quæ Christus primum aperuit.

VII. Quinam illi, qui laborant et onerati sunt?

Resp. primo, qui sub jugo legis veteris gravi importabili ingemiscabant et adhuc ingemiscunt; de quo dicitur Actor. XV. *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, etc?* Item qui jugum idololatricæ superstitionis sustinent.

Secundo, qui sub onere peccatorum gemunt, et quandoque ad desperationem aguntur. Quemadmodum Cain et Judas sub hoc onere conciderunt. De hoc Ps. XXXVII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

Tertio, qui grave illud Adæ jugum portant, de quo Eccl. XL. *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulture.* Sunt autem omnes vitæ humanæ miseræ et calamitates. Ex his labores sunt ii, quos in agendo sponte suscipimus, onera vero morbi ceteraque quæ inviti toleramus. Sub hoc etiam jugo multi pereunt, ut qui curarum impatientia, vel debitorum gravitate pressi sibi ipsis mortem inferunt: *Venite igitur ad me omnes, etc.*

VIII. Quomodo reficiuntur onerati, qui ad Christum veniunt? Resp. primo, oneratos refici in eo, dum ablato ab eorum humeris jugo gravi et importabili veteris legis et servitutis dæmoniacæ in gentilismo, imponitur eis jugum legis evangelicæ leve et suave: secundo, in eo, dum a peccatorum onere et conscientia carnificina expediti et liberati, spem salutis acquirunt, et jam in tuto extra laqueos dæmonis positos se vident: tertio, in eo, dum a Deo vires accipiunt, et dexteritatem quasi tolerandi cum gaudio omnes adversitates, scientes: *Quia tribulatio spem operatur, spes autem non confundit.* Non tollit quidem hoc onus (non enim ait: *Exonerabo vos*) sed refecit oneratos, ut onus facile et hilariter gestent, utpote cum maximo suo fructu et merito, etc. ac quemadmodum jugum bonum in aliquibus locis molli culcitra suffulcitur: ita jugum illud a Christo lenitur consolationibus. Ecce tibi, juxta Christum duo pendebant latrones, uterque in cruce sua: sed uni in cruce bene erat cum Christo, alteri vero male. Unus in cruce patiens erat, quia: *Digna factis recipimus,* inquit, alter vero impatiens: *Salvum fac et nos,* inquit. Ille Christum laudabat et confitebatur, iste vero blasphemabat. Nimirum illic jugum Christi gerebat, hic vero jugum diaboli.

IX. Quid sit jugum et onus Christi? Resp. lex est evangelica, continens præcepta fidei, sacramentorum et rerum quæ ad mores christianos pertinent. Dicitur autem jugum, primo, quia accedentibus ad Christum imponitur, eosque comprimit et constringit, ne quandoque carni et appetitui liberit, sequentur: secundo, quia nos ad

Christum per amorem ei servitatem, et ad proximum vinculo charitatis alligat.

Potest etiam distingui jugum ab onere, ita ut jugi nomine intelligamus legem evangelicam; oneris nomine persecutiones, tentationes et tribulationes, per quas premi et ingredi oportet fideles in regnum cælorum. Utrumque expressit apostolus, II. Tim. III. cum ait: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

X. Cur hoc loco Christus humilitatem tantum et mansuetudinem imitandam nobis proponit? Resp. quia duæ hæ virtutes maxime necessariae sunt suscepturo jugum Christi. Vocaverat Christus laborantes et oneratos; laborantibus proponit jugum suave, oneratis onus leve. Nunc ut jugum legis evangelicæ laborantibus suave fiat, suadet illis humilitatem: ut onus tribulationum oneratis

leve fiat, suadet illis mansuetudinem. Sunt ergo duæ hæ sorores admodum necessariae homini christiano, humilitas ad suscipiendam et observandam Christi legem; mansuetudo ad superandas tentationes et vitæ hujus calamitates. Idcirco etiam apostolus binas has virtutes Ephesiis ad fidem vocatis vehementer commendat, ad Ephes. IV. *Obsecro vos, inquit, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine.* Bos jugo alligandus non solum flectere collum debet ad jugum suscipiendum, sed nec recalcitrare debet, cum stimulis urgetur. Duæ ergo hæ rotæ curru evangelicæ legis trahendo necessariae et utilissimæ sunt: *Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus,* inquit S. Leo, serm. V. de epiph. Hæ duæ alæ sunt, quibus ad requiem evolare possumus; quam nobis donet Deus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

JUGUM MUNDI ÆGYPTIACUM.

Servitus Ægypti. — I. Est jugum durissimum. — II. Jugum fœdissimum. — III. Jugum miserrimum.

THEMA.

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.
Math. XI.

Miserum prorsus erat servitutis jugum, quod imposuit Hebræis Pharaon rex Ægypti: adeo ut gemitus oppressorum ascenderit usque ad cælum, Domino testante: *Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.* Qua vociferatione Deus apparuit Moysi in rubo ardente; qui nil aliud nisi eandem Hebræorum afflictionem, instar ignis, Hebræos urentem, significabat, Exo. III. eandem Lev. XXVI. *catenas* appellat *cervicum* ipsorum: ipse vero Moyses, Deut. IV. *fornacem ferream.* *Vox eduxit de fornace Ægypti, etc.* Verum servitus illa corpora tantum petebat, non animas: exigua igitur fuit respectu servitutis, quam mundi amatores collo suo imponunt, quaque non tam corpora, quam animas suas premunt, adeoque opprimunt; et quod maxime miserandum suas interim miserias non vident nec deplorant, imo etiam miseri certatim in eos insiliunt, nec inde eripi volunt. Igitur his, ut paulisper oculos

aperiant, et quale jugum trahant, intelligant, describemus obiter ipsorum servitatem, Ægyptiacæ illi non absimilem.

I. Servitus Ægyptiaca fuit Hebræis in primis durissima. Cogebantur enim facere lateres et obire *onem famulatum*, Exo. I. deinde conquirere sibi paleas ad faciendos lateres, Exo. V. Addit Josephus coactos flumen in multas fossas deducere, mœnia exædificare, et aggeres construere ad arcendas aquas, pyramides extruere, etc. quomodo fere nunc a Turcis mancipia vexantur. Quare non abs re suas delicias, ad quas redire cupiebant e deserto, appellant *cæpe et alia*; quia nimirum lacrymas eis, tantum non sanguineas, expresserunt.

Nihilo mitior est mundi servitus. Gravissima enim imponit onera in parandis opibus, honoribus, deliciis, commodis, contentanda uxore, promovendis liberis, parandis amicis, saginando corpore, etc. Et primo, ut hæc conquirant, laborant desideriis, quæ tantum non occidunt eos, dum concupiscunt et non habent: quorum typus fuit Rachel, quæ liberorum cupida, viro dicebat, Gen. XXX. *Da mihi liberos, alioquin morior, hoc est, mortem mihi ipsa consciscam,* ait Isidorus Pelusiotæ, l. II. epist. CCLXXIV. Quæ tamen, ubi liberos accepit, in secundo partu exstincta est, Gen. XXXV. Exemplo est Rex Achab, qui cum negaretur ei vinea a Naboth, indignabundus et frendens abiit domum, et posuit se in lectulum quasi ægri-